



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Purgatorium an sit in scripturis fundatum. tit. 238

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

lorum, quoniam Iudæi & gentes eam nolunt recipere: Nunquid propterea Christus non est saluator, quia Iudæis scandalum est & gentibus stultitia: 1. Corinth. 1. absit, incredulitas illorum, non euacuat fidem nostram, Roman. 3. Satis nobis sit, quod Ecclesia catholica edocta à Spiritu sancto, sic docuit & credit de suffragiis & Purgatorio mortuorum, & omnes catholici consentiunt & subscribunt huic sententia. Quid nobis de illis qui extra Ecclesiam sunt, 1. Cor. 5, Eos qui foris sunt, Deus iudicabit &c. Non est igitur traditio humana, orare pro defunctis, ut dictum est, sed ex scriptura desumpta.

*PURGATORIUM AN SIT IN
scripturis fundatum.*

TITVLVS CCXXXVIII.



Orandum primò, quòd hæc quæstio iam annis plus mille fuit mota in Ecclesia, vbi yna pars, id est, sectarum, quæ Ecclesiam negavit, altera pars catholica affirmavit: & quoties aliqui descivere ab Ecclesia, tunc in odium cleri negabant Purgatorium. Sic scribit Augustinus in libro ad quod vult Deum de heresibus, de Aërio. Sic Arriani, Vniclephista, Pauperes de Lugduno, Picardi, Vvaldenses, &c. Ideo cū temporibus Augustini ipsi objiceretur à Donatistis hæc quæstio: respondit lib. 2. de cura agenda pro mortuis, Quòd sic, nempe quòd sit Purgatorium, & in scripturis fundatum, 2. Macha. 12. Sancta & salubris &c. Hæc scriptura sibi sufficit.

Subindè cū Ambrosio hæc quæstio objiceretur: respondit, Quòd sic, & probat hæc scriptura, scribens in Psalmū 118. Transiimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Per ignem & aquam notat genera pœnarum, & liberationem per refrigerium, id est orationem fidelium. Sic B. Gregorius affirmat

firmat esse Purgatorium, & probat ex Euangelio, Matt. 12. Est peccatum quod neque hic, neque in futuro seculo dimittetur, &c. Ergo est aliquod peccatum quod in futuro dimittetur: sed cum non sit in inferno, nec in caelo, ergo in Purgatorio.

Sic respondit affirmatiuè Hieronymus, tractans illud 1. Cor. 3. Vniuscuiusq; opus probabit ignis, saluus tamen erit per ignem. Chrysostr. affirmat, tractans illud 1. Ioan. 5. Est peccatum ad mortem, id est, infidelitas & desperatio. Non dico, vt quis pro eo orat, sed bene pro alijs peccatis. Damascenus approbat iuxta illud Matt. 5. Esto consentiens cum aduersario in via, ne mittaris in carcerem: alioqui non exibis &c. Istos catholicos doctores sequitur catholica Ecclesia, & his scripturis probant Purgatorium. Sic Damascenus probat & scribit de Cranio &c. ex miraculis Marcarij &c.

Secundò esto, sint Vviclephi, Lutherani, secte plures &c. qui negant scripturas & Purgatorium, speciales fingentes glossas. Nobis catholicis pluris esse debent catholici & approbati doctores, quorum glossa approbat Ecclesia. Non autem sectarum glossa est approbata. idèd nos audire debemus Ecclesiam Mat. 18. Sic docuerunt & senserunt doctores, & Augustinus orat pro matre sua Monica, lib. 9. Confess.

Tertiò inquis: Iamdiù per multos annos oratum est pro animab. amicorum & parentù: cessabo ergo? Ad quid anniuersaria, tricesimæ, vigilia, &c? August. de 8. quest. Dulcitij, quest. 2. Quando suffragia fiunt pro baptizatis defunctis & amicis &c. Pro valdè bonis, & à pœnis liberis, gratiarum actiones sunt: pro valdè bonis, sed medijs, liberationes sunt: pro valdè malis & damnatis, & alijs qui sunt de hac parentela, profunt, saltem quòd malis tolerabilior sit pœna, & sic nihil fit frustrà, & hæc quoq; hodiè est sententia & fides catholica deligne Purgatorij, Vide August. ser. 41. de sanctis, die animarum. AN